

Antiqui easdem in essentia species sensus ac nos, distinxerunt, sed de earum ambitu et nominibus valde haesitarunt ac dissenserunt. Sensem, quem nos verbalem (*κατὰ τὴν ῥῆσιν, κατὰ τὸ ῥητόν*) dicimus, antiqui potius litteralem (*κατὰ τὸ γράμμα*) immo sensu nimis stricto historicum (*κατὰ τὴν ἱστορίαν*) vocant. Multi sensum hunc ad proprium tantum restringunt, et tropico ac typico (figuratae locutioni) opponunt, seu sensum tropicum pro spirituali habent. Ita aliquando S. Augustinus (Doctr. chr. III. 5. De Gen. ad lit. XI. 1.), S. Hieronymus (Adv. Lucif. 26.), Origenes, S. Gregorius Nyss. S. Ambrosius, S. Gregorius M. Immo nonnunquam per sensum litteralem sensum tantum grammaticum intelligunt, contextum et conditionem auctoris negligentem. Interdum autem sensum litteralem pro sensu theoretico, spirituali opposito accipiunt; per spirituale autem sensum practicum et moribus applicatum intelligunt.

Deinde antiqui sensum litterali oppositum allegoricum, spiritualem (*πνευματικῶς* dictum), mysticum (secundum mysterium), symbolicum,

aliam rerum. Et ita etiam nulla confusio sequitur, quum omnes sensus fundentur super unum i. e. litteralem, ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex his, quae secundum allegoriam dicuntur. Sum. I. qu. 1. a. 10.

»Manifestatio vel expressio alicujus veritatis potest fieri de aliquo rebus et verbis; in quantum scilicet verba significant res et una res potest esse figura alterius. Auctor autem rerum non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam potest res disponere in figuram alterius; et secundum hoc in S. Scriptura manifestatur veritas dupliciter: uno modo secundum quod res significantur per verba, et in hoc consistit sensus litteralis; alio modo secundum quod res sunt figurae aliarum rerum et in hoc consistit sensus spiritualis. Et sic S. Scripturae plures sensus competunt.« Quodl. VII. qu. 6. a. 14. »Sensus spiritualis semper fundatur supra litteralem et procedit ex eo.« Quodl. VII. qu. 6. art. 14. ad 1. cf. a. 16.

»S. Scriptura veritatem quam tradit, dupliciter manifestat: per verba et per rerum figuras. Manifestatio autem, quae est per verba, facit sensum historicum seu litteralem; unde totum id ad sensum litteralem pertinet, quod ex ipsa verborum significatione recte accipitur. Sed sensus spiritualis ut dictum est, accipitur vel consistit in hoc, quod quaedam res per figuram aliarum rerum exprimentur, quia visibilia solent esse figurae invisibilium. Inde est, quod sensus iste, qui ex figuris accipitur, spiritualis vocatur.« Quodl. VII. qu. 6. a. 15.

»Significatio, qua per hujusmodi res Christus aut ejus membra significantur, facit alium sensum praeter historicum, scilicet allegoricum.« Quodl. VII. qu. 6. art. 15. ad 1.

»Dicendum, quod spiritualis sensus S. Scripturae accipitur ex hoc, quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud.« Quodl. VII. qu. 6. art. 15. ad 16.

figuratum vel typicum, (*κατὰ τὴν διάνοιαν, κατὰ τὸν νοῦν, κατὰ τὴν ἀναγωγὴν, κατὰ τὴν θεωρίαν*) appellant, sub quibus verbis tum nostrum realem, tum etiam translatum (omnem sensum tropicum et typicum, ut etiam recentior Lyranus), tum tantum typicum, tum etiam sensum implicitum intelligunt, et ita voces modo recte, modo justo latius, modo justo strictius usurpant. Immo in usu vocum iidem auctores parum sibi constant, quod multarum confusionum causa est. Ceterum neque recentioribus semper omnis inconstantia et confusio abest.

A priore autem saeculo multi sensum grammatico-logico-historicum vel brevius *grammatico-historicum* aut *historico-logicum* vocant eum, qui per grammaticam (sensu lato), logicam et historiam invenitur. Quae denominatio recta quidem est; sed limites sensus grammatico-historici alii aliter determinant: alii eum cum sensu verbali eundem habent et omni sensui reali se. symbolis ac typis opponunt; alii (ut etiam nos) symbola speciebus sensus grammatico-historici adnumerant et hunc sensui spirituali seu typico opponunt. Nos verborum technicorum significationem nativam, quoad fieri potest, retinemus, ratione tamen significationis eorum historicae habita. Quum sensus grammatico-historicus idem sit, ac sensus litteralis antiquorum, etiam nos eum sensum *litteralem* (sensu lato) vocamus.

Sensum symbolicum pro sensu reali, spirituali et mediato habent Kohlgruber et Reithmayr; rursus alii sensum symbolicum a reali ac spirituali excludunt, et tantum typicum sensum realem, mediatum atque spiritualem autumant. (Dankó, Cornely, Zapletal.) Manifeste autem errat Ranolder, dicens: »Si exacte loqui velis, hanc mysticam vel symbolicam rerum significationem (sensem realem) sensum proprie vocare non poteris, cum sensus, presse loquendo e verbis resultet, non e rebus.« (Herm. p. 36.) Neque intelligitur, quomodo sensum ita rejectum »claritatis causa« retineat.

§ 16.

Subdivisio sensus verbalis et realis.

1. — Sensus verbalis potest esse *proprius* (*κατὰ λέξιν*) et *improprius seu translatus* seu (sensu strictiore) *tropicus*. (Tulajdon és átvitt értelem, buchstäblicher oder eigentlicher und uneigentlicher Sinn.) Sensus proprius est, quem voces sua significatione propria expriment; e. g. quando dicimus brachium hominis, homo ridet. Sensus autem translatus est qui verbis, significatione trans-

lata acceptis, in aliquo casu particulari praeter consuetudinem loquendi communem subicitur, ob relationem rei proprie et improprie significatae; e. g. brachium Dei, pratum ridet.

Transferri potest sensus singularium vocum, phrasium ac propositionum aut vero totius orationis. (*Translatio verborum et orationum.*) Translatio verborum vel phrasium (vel summum propositionis simplicis) locum habet e. g. in metaphora, metonymia vel synecdoche; translatio orationum in parabola, allegoria, fabula. Relatio autem illa, ob quam translatio fit, est aut *similitudo* aut *nexus objectivus* (causalitatis, comprehensionis, totius et partis). Similitudini e. g. innituntur metaphora, parabola, allegoria, fabula; nexui objectivo metonymia, synecdoche.

Sensus translatus sensum proprium intentum semper excludit, immo nonnunquam impossibilem et absurdum reddit.

Si verba sensu translato accipienda sensu proprio accipiuntur, ejusmodi sensus falsus, praecipue mala fide suppositus vocatur sensus *corporalis seu carnalis*.¹

Sensus translatus saepe dicitur etiam metaphoricus, allegoricus, parabolicus; verum ista nomina species sensus translati designant. Deinde sensus translatus vocatur etiam figuratus; sed ars oratoria figuras a translatione sensus recte distinguit.

Notandum adhuc est, sicut omnem sensum ita etiam sensum verbalem, et proprium et translatum intuitu argumenti in *historicum, dogmaticum, moralem, propheticum et anagogicum* dividi.

2. — Sensus realem dividimus in *symbolicum et typicum seu spiritualem*, quatenus res, quae sensum realem significat, symbolum aut typus est.

Symbolum autem est persona, res (irrationalis) vel actio (seu eventus) sensibilis, rem invisibilem (abstractam vel alias absconditam) plerumque analogam ex institutione entis rationalis (Dei vel hominis) repraesentans. Species symboli praecipue sunt:

¹ S. Thomas de sensu proprio et improprio dicit: »Per litteralem sensum potest aliquid significari dupliciter: secundum proprietatem locutionis, sicut quum dico: homo ridet, vel secundum similitudinem seu metaphoram, sicut quum dico pratum ridet. Et utroque modo utimur in S. Scriptura, sicut quum dicimus, quantum ad primum, quod Jesus ascendit, et quum dicimus, quod sedet a dextris Dei, quantum ad secundum. Et ideo sub sensu litterali includitur parabolicus seu metaphoricus«. Ad Gal. c. 4. lect. 7. »Non enim quum Scriptura nominat Dei brachium, est litteralis sensus, quod in Deo sit membrum hujusmodi corporale, sed id quod per hoc membrum significatur, scil. virtus operativa«. Sum. I. q. 1. a. 10. ad 3.

symbolum historicum, doctrinale, et propheticum (visio atque actio symbolica). *Typus* autem est res historica (persona, res irrationalis vel actio seu eventus) prioris foederis oeconomiae salutis, e dispositione divina personas, res vel facta similia novi salutis ordinis sensu spirituali praefigurans. Typi species est vaticinium typicum, idest praenuntiatio eventus futuri propioris, alium eventum remotiorem typice repraesentantis.

Symbolum et typus maxime in signo inter se differunt, quod rem repraesentat. Signum enim symbolicum *tantum ob aliud* est, signum autem typicum *et ob seipsum et ob aliud*. Scilicet signum symbolicum merum est medium, cujus tota existentiae ratio in significando consistit; signum autem typicum est res historica etiam ob seipsam existens, sed a providentia divina rei futurae conformata. In symbolo nonnisi sensus realis est vere intentus ut finis; verbalis dumtaxat ut medium. In typo et litteralis sensus et spiritualis intenduntur, aut aequaliter uterque ut finis, aut vero spiritualis ut finis principalis, litteralis ut finis secundarius.

Verba, quae symbolum vel typum enuntiant (oratio symbolica vel typica), duplicem habent sensum: verbalem, qui est ipsa res symbolica vel typica, et realem scilicet sensum symbolicum vel typicum.

Sensus symbolicus etsi realis, ad sensum grammatico-historicum adscribendus est, quia vel oratione ipsa manifestatur, vel vero e signo, nullam rationem propriam habente et e conditionibus psychologicis atque historicis cognoscitur. E contrario quum res historicae, quales sunt typi, ob seipsas, aut certe non ob futura remota soleant existere; et quum typus etiam per se habeat sensum idoneum: ideo sensus typicus est sensui grammatico-historico superadditus, qui ut signum futurorum cognosci non potest, nisi ex revelatione, arcana historiae ac providentiae divinae aperiente. Hinc sensus duplex nonnisi in typis perfectus est, in symbolis non. Haec est causa, cur alius quam typicus sensus plerumque non vocetur spiritualis, et cur ille solus sensui grammatico-historico seu litterali (sensu latiore) opponatur.¹

¹ S. Thomas de sensu spirituali et symbolico dicit:

»Dicendum, quod spiritualis sensus S. Scripturae accipitur ex hoc, quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud.« Quodl. VII. qu. 6. art. 15. ad 16.

»Sic ordinantur res in cursu suo, ut ex eis talis sensus possit accipi, quod ejus solius est, qui sua providentia res gubernat, qui solus Deus est.

Nomina sensus litteralis (sensu latiore) et spiritualis ex ep. II. Cor. 3, 6. sumpta sunt, ubi S. Paulus intellectum Vet. Testamenti Judaicum litteris haerentem opponit libero et rationabili usui Scripturae Christiano, dicens: »Non littera, sed spiritu (sc. ministramus); littera enim occidit, spiritus autem vivificat.«¹

Sicut enim homo potest adhibere ad aliquid significandum aliquas voces vel aliquas similitudines fictas, ita Deus adhibet ad significationem aliquorum ipsum cursum rerum suae providentiae subjectarum. Quodl. VII. q. 6. a. 16.

»Hircus (Dan. 3.) vel alia hujusmodi, per quae aliae personae a Christo in Scripturis designantur, non fuerunt res aliquae, sed similitudines imaginariae ad hoc unum ostensae, ut illae personae (aut regna) significarentur; unde illa significatio . . . non pertinet, nisi ad historicum sensum. Sed ad Christum designandum etiam illa, quae in rei veritate contigerunt, ordinantur sicut umbra ad veritatem; et ideo talis significatio, qua per hujusmodi res Christus aut ejus membra significantur, facit alium sensum praeter historicum, scilicet allegoricum. Si alicubi vero inveniatur, quod Christus significatur per hujusmodi imaginarias similitudines, talis significatio non excedit sensum litteralem.« Quodl. VII. qu. 6. a. 15. ad 1. Quodsi S. Thomas signa symbolica similitudines imaginarias vocat, similitudines excogitatas, quasi artificiosas significare vult; essentiam enim harum similitudinum in eo ponit, quod ad significandum solum ostensae sint.

¹ S. Patres in duo, tria, immo quattuor genera sensum dividebant, quorum unum semper erat sensus spiritualis. En aliquot exempla. *Origenes* in S. Scriptura sicut in homine distinguit corpus, animam et spiritum. *Corpus* est sensus obviis, per quem tum sensum proprium, tum litteralem intelligit; *anima* est sensus altior, *spiritus* est sensus mysticus. (De princ. IV. 11. 12. 16—18.)

S. Hieronymus pariter tres sensus discernit. »Triplex regula scripturarum est; prima ut intelligamus eam juxta *historiam*, secunda juxta *tropologiam*, tertia juxta *intelligentiam spiritualem*. In historia eorum, quae scripta sunt, ordo servatur; in tropologia de littera ad majora consurgimus et quidquid in priori populo carnaliter factum est, juxta moralem interpretamur locum et ad animae nostrae emolumenta convertimus; in spirituali theoria ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine et coelestibus disputamus, ut praesentis vitae meditatio umbra futurae beatitudinis sit.« Ad Hedib. ep. 120, 12. Sed alibi Hieronymus simplicem scripturarum sensum, qui *caro* est (litteralem) et ejus *spiritum* distinguit. (In Gal. 5, 13.) Rursum alio loco: »Debemus — inquit — Scripturam sanctam primum secundum *litteram* intelligere, facientes in ethica, quaecunque praecepta sunt; secundo juxta *allegoriam* i. e. intelligentiam spiritualem, tertio secundum *futuram beatitudinem*«. In Am. 4, 6.

S. Augustinus quatuor explicationis species enumerat: secundum *historiam*, secundum *aitiologiam*, secundum *analogiam* et secundum *anagogiam*. (De util. cred. 3.) Sed tres priores sensus sunt litterales: scilicet explicatio rem simpliciter narrans, argumentis probans et harmoniam quaerens, sicut ipse S. Thomas verba Augustini interpretatur. (Sum. th. I. q. 1.

Multi, ut supra diximus, sensum symbolicum ad sensum litteralem translatum adscribunt. Sed signum symbolicum, quum sit res vera, vel saltem imago animo prophetae vere obversans, non secus ac signum typicum reale est; discrimen tantum in aliena vel propria existendi ratione consistit. Cavendum autem est, ne visio symbolica confundatur cum visione poëtica, quae revera sensum litteralem translatum habet, quia imago, quam describit, menti poëtae in veritate non obversatur, sed imaginatione fingitur.

3. — Sensus realis, saltem *symbolicus* ratione argumenti perinde ac sensus verbalis in Bibliis dividitur in *historicum*, *dogmaticum*, *moralem*, *propheticum* et *anagogicum*. Primus eventus invisibiles (praeteritos vel praesentes) signis exprimit, secundus doctrinam credendam sub involuero signorum proponit, tertius agenda per signum docet, quartus futura signis delineata praenuntiat, quintus res vitae venturae sub signis promittit. Typi autem, quum semper futura spectent, strictè historici (praeterita ac praesentia spectantes) esse non possunt; dogmata autem sub typis proposita aut vaticinia sunt, aut speranda. Ideo tres tantum *typi* sensus ratione argumenti remanent: *moralis* (*tropologicus*), *propheticus* (etiam *allegoricus* vel prophético-historicus vocatus), et *anagogicus* (*speculativus*, *theoria*), quae sunt etiam species sensus spiritualis. Ex his sensus propheticus pertinet ad Christum et ejus ecclesiam, moralis ad animam hominis, anagogicus ad vitam caelestem.

S. Patres et antiqui ecclesiae scriptores ut in distinctione sensus litteralis et spiritualis, ita etiam in subdivisione sensus spiritualis, et maxime in denominatione specierum valde dissentiunt; quod nec mirum est, quum verba technica, praecipue omnium consensu recepta eo tempore omnino defuerunt.

Post aetatem Patrum tres sensus spiritualis species interpretes distinguere coeperunt: *allegoricum* (typicum), qui credenda proponit, *moralem* seu tropologicum, qui agenda docet, et *anagogicum* seu elevatum, qui de sperandis agit.¹ Quas sensus spiritualis species, addito sensu litterali, veteres his versiculis explicabant:

a. 10. ad 2.) Sed alio loco S. Augustinus duplicem sensum distinguit: *litteralem* (proprium ac translatum) et *spiritualem*. (Serm. 89, 4. sqq.) Alibi autem scribit: »In libris omnibus sanctis intueri oportet, quae ibi *aeterna* intimentur, quae *facta* narrentur, quae *futura* praenuntientur, quae *agenda* praecipiantur vel moneantur.« (De Gen. ad lit. 1.)

¹ S. Thomas sequentem hujus distinctionis rationem adfert: »Veritas autem, quam S. Spiritus per figuras rerum tradit ad duo ordinatur scil.

Littera gesta docet, quid credas, allegoria;
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Vel alia forma:

Dicitur historicus, quem verba expressa designant,
Et allegoricus, priscis qui ludit in umbris,
Moralis, per quem vivendi norma tenetur,
Quid vero speres, anagogicus altius effert.

Versus isti illustrari solent exemplo vocis Jerusalem, quae omnes illas sensus species habet: sensu litterali Judaeae caput, allegorico ecclesiam militantem (Gal. 4, 26. Hebr. 12, 22.), moraliter animam hominis (in liturgia hebdomadae sacrae), anagogice ecclesiam caelestem (Apoc. 21, 2.) designat.

Haec tamen distinctio recta non est. Peccat in regulas divisionis, sensum litteralem, ut genus, speciebus generis coordinati, sc. sensus spiritualis aequando. Gravius adhuc vitium est, quod sensus allegoricus (dogmaticus), moralis et anagogicus litterali opponuntur; nam hujusmodi sensus species etiam in litterali occurrunt. Deinde sensus propheticus in divisione plane omittitur; sensus autem dogmaticus (quid credas) perperam allegoricus dicitur, quum neque omnis sensus allegoricus sit dogmaticus, neque omnis sensus dogmaticus allegoricus.

§ 17.

Subdivisio sensus illati.

1. — Sensus illati — qui, utpote nec intentus, nec vere expressus, verus sensus non est, sed in praxi per analogiam et significationis extensionem sensus nuncupatur, — tres species recte distinguuntur: sensus *accommodatus*, *mysticus* et *consequens*, quibus perperam nonnulli sensum *implicitum* adnumerant. In sensu

ad recte *credendum* et ad recte *operandum*. Si ad recte *operandum*, sic est sensus *moralis*, qui alio modo tropologicus dicitur. Si autem ad recte *credendum*, oportet distinguere secundum ordinem credibilium: ut enim Dionysius dicit, status ecclesiae medius est inter statum synagogae et statum ecclesiae triumphantis. Vetus ergo testamentum fuit figura novi, vetus simul et novum figura sunt coelestium. Sensus ergo spiritualis ordinatus ad recte credendum, potest fundari in illo modo figurationis, quo vetus testamentum figurat novum, et sic est *allegoricus sensus vel typicus*, secundum quod ea, quae in veteri testamento contigerunt, exponuntur de Christo et ecclesia; vel potest fundari in illo modo figurationis, quo novum simul et vetus significant ecclesiam triumphantem, et sic est sensus *anagogicus*. Quodl. VII. qu. 6. a. 15.

accommodato sensus primus, in mystico secundus, in consequente sensus deductus infertur.

Sensus *implicitus* est cogitatio in verbis latens, quae explicatione et enarratione fit manifesta. Quum quisque prudens sensum verborum non tantum obvium sed etiam latentem cogitasse et animo intendis praesumatur, Spiritus vero Sanctus, Scripturae auctor eum praevidisse certo credatur: hujusmodi sensus, maxime in Bibliis, pro vero, intento et expresso habendus est, et nihil aliud est, nisi sensus litteralis explicandus vel explicatus.

2. — Sensus *accommodare* (*ἀρμόζειν, μετακομίζειν*) est verbis orationis aliud consulto et bona fide exprimere, atque auctor dicere voluit. Consulto dicimus, idest scienter ac volenter, et bona fide, idest sine voluntate fallendi. His accommodatio differt tum ab *errore* et mala *interpretatione*, tum a violenta sensus *depravatione*. Sensus ergo *accommodatus* vel potius *accommodativus* (*κατὰ κόλλησιν* = per agglutinationem sc. novi sensus) est cogitatio loquentis propria, alienis verbis, idoneis quidem, sed praeter intentionem auctoris (consulto et bona fide) acceptis plerumque ingeniose expressa.

Sensus accommodatus non est ab auctore intentus, neque ab eo data opera expressus, sed tantum per textum exprimi potest (possibilis est); ideo oratio duplicis sensus capax ita usurpatur, quasi cogitationem accommodantis revera contineat.

Accommodatio sensus prudenter ac licite fit, si novus sensus jure praesumitur sententia esse auctoris, etsi eo loco non significata, quae verbis textus saltem includi potuerit. Res autem ita se habet, quum aut sensus expressus et illatus tam similes sunt, ut prudenter credi possit, auctorem sensum illatum non exclusisse, immo etiam novum casum, si eum novisset, fors verbis suis comprehensurum fuisse; aut quum certe constat, auctorem in eadem sententia, quae verbis suis supponitur, fuisse, eamque alibi aperuisse.

Si nulla est inter antiquum et novum sensum similitudo, vel vero si sensus contra intentionem auctoris manifestam infertur, tunc accommodatio falsa est et illicita. Accommodatio haec illegitima aut violenta textus depravatio est, aut vero, si inconsulto fit, ignoratio est veri sensus falsaue interpretatio. Multae, quae dicuntur accommodations, non sunt, nisi errores exegetici, qui plerumque a sermonis originalis vel contextus neglectu oriuntur.

3. — Duae sunt species accommodationis: accommodatio *per extensionem* et *per allusionem*.

Accommodatio *per extensionem* est, si verba auctoris eodem sensu de alio dicuntur, idest sensus verborum retinetur, sed subjectum (persona aut res) cum simili permutatur. Id fit, quum ea, quae de certa quadam persona vel re dicta sunt, de alia persona vel re praedicantur, in quam pariter conveniunt, sed quam auctor non cogitavit, cui tamen verba ipse applicasset, si eam novisset. In hoc casu similitudo est inter rem expressam et illatam, et auctor sensum illatum implicite intendisse merito creditur.

Talis accommodatio fit, quum laus alicujus personae biblicae recentiori sancto impertitur; sicut e. g. verba Eccli. 31, 8. *Beatus dives, qui inventus est sine macula* etc. vel 44, 17. 25. 45, 1. 8. et alia multa in liturgia sanctis ecclesiae applicantur. Accommodatio per extensionem est aliquem justum iis laudibus ornare, quibus Christus (Joan. 1, 47.) Nathanaelem extulit: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est*. Tales accommodationes in publicis ecclesiae precibus sunt frequentissimae.

Accommodatio *per allusionem* est, si verba auctoris diverso sensu de alio dicuntur, idest verba sensu suo privantur et ad personam vel rem alienam, cui ut sonant, etiam congruunt, per quendam verborum lusum, sed sensui auctoris aliunde noto convenienter transferuntur. In hoc casu analogia non est inter sensum hoc loco expressum et sensum illatum, sed inter sensum alibi ab auctore expressum et hoc loco illatum. Sensus ergo hic illatus ab auctore saltem intendi potuit.

Accommodationes per allusionem sunt e. g. sequentes. Ea, quae in Ant. Testamento de sapientia divina dicuntur, in liturgia per allusionem in B. Mariam Virginem transferuntur. Verba Psalmi 17, 26. 27. *Cum sancto sanctus eris . . . et cum perverso perverteris*, nonnunquam ita allegantur, quasi hominem de eventibus conversationis moneant; quum revera ad Deum dicantur et significant eum in bonos elementem fore et immisericordem in malos. Versus: *Mirabilis Deus in sanctis suis* (Ps. 67, 36.) idest in sanctuario suo, per accommodationem de viris sanctis praedicatur. Similiter promissio Salvatoris: *Fiet unum ovile et unus pastor* (Joan. 10, 16.) saepe ad conversionem omnium gentium hominumque, finem saeculorum praecessuram trahitur; quamquam verus sensus est, unum illud ovile ecclesiam universalem esse Judaeos et gentes complectentem. (Ante consummationem saeculorum evangelium quidem inter omnes gentes praedicabitur, sed non omnes homines illud recipient; immo ante adventum Christi secundum maximas

scissiones et defectiones fore constat.) Verba apostoli: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* (I. Tim. 3, 1.), quae revera opus grande ac difficile significant, non tam per allusionem quam per detorsionem ad episcopatum tamquam rem utilem et jucundam referuntur.

Manifestum est, sensum per extensionem accommodatum sensui auctoris propiorem esse, quam eum, qui per allusionem accommodatur.

4. — Sensus *mysticus* est sensus translatus (allegoricus) vel realis praeter intentionem auctoris sensui unico vel multiplici tamquam sensus altior et occultior superadditus. Id tribus potissimum modis fit: *a)* in narrationibus historicis, quibus sensus allegoricus vel spiritualis attribuitur, ubi talis non adest; *b)* in allegoriis, parabolis, symbolis et typis, quae alio sensu (allegorico, spirituali etc.) quam ab auctore intento accipiuntur; et *c)* in partibus parabolarum, meri ornatus gratia insertis, quibus praeter intentionem auctoris sensus tropicus ingeritur.

Ita tum praeter purum sensum proprium translatus vel realis, tum praeter translatum et realem verum alter sensus translatus vel realis fingitur; seu oratio sensu proprio accipienda tamquam allegoria, symbolum vel typus, aut oratio jam allegorica, symbolica vel typica tamquam nova allegoria, symbolum vel typus exponitur. Sensus tamen verus plerumque per mysticum non tollitur, sed hic illi quasi sensus consociatus superadditur.

Inter sensum mysticum et accommodatum hoc maxime interest, quod quum sensus accommodatus tamquam proprius et exclusivus proponatur, sensus mysticus salvo sensu proprio, translato, immo et reali, his tamquam sensus secundus accedit.

Sensus mysticus duas habet species: practicum et fallacem.

Sensus mysticus practicus seu pius est, qui ut cogitatio sublimis, fecunda et efficax, ad pietatem ac virtutem fovendam in institutione practica (catechesi, homilia) adhibetur et sic tractatur, quasi verus sit sensus.

Exempla. Visio Ezechielis symbolica de campo ossibus pleno (c. 37.), quae revera dispersionem et restitutionem populi Israel significat, in resurrectionem corporum mystice referri potest. Sensu mystico multi typi in antiquo et novo testamento praeter typos revelatos constituuntur. Sensu mystico mors et resurrectio Lazari imago est hominis peccatoris et conversi, spiritualiter mortui et resuscitati. Sicut Lazarus terrae mandatur, visum auditumque amittit, fasciis ligatur, ita etiam peccator rebus terrenis immergitur, mente obcaecatur, aures verbo Dei praecludit, robur voluntatis deperdit etc. — Multae parabolae